



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

326. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De eadem re. *Ex eodem.*

CCCXXVI. Si quis suspicatur quòd ad perjurium inducitur, & tamen ex consensu jurat, duos annos pœniteat.

Rhab. epist. ad Heribald. c. 18. Burchard. lib. 12. c. 11.

*Vnde suprâ.*

CCCXXVII. Si quis perjuraverit per cupiditatem, omnes res suas vendat, & pauperibus distribuat, & monasterium ingressus, jugi pœnitentiæ se subdat.

Burchard. lib. 12. c. 3.

*Vnde suprâ.*

CCCXXVIII. Si quis perjurium fecerit, laici annos tres, Clerici quinque, Subdiaconi sex, Diaconi octo, Presbyteri decem, Episcopi duodecim annos pœniteant.

De eadem re. *Ex Capitul. Titulo XIV.*

CCCXXIX. Quicumque comprobatus fuerit quòd scienter testes in perjurium induxisset, sub fidejussoribus ad palatium adducatur, ubi cum fidelibus nostris consideremus quid de talibus faciendum sit. Episcoporum autem erit de pœnitentia cogitare.

Capitulare 111. Lud. P. tit. 7. c. 6. & Addit. 1v. c. 77. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 51. c. 14.

*Postremam capituli istius partem non exhibet Capitulare 111. Ludovici Pij, neque Additio 1v. Capitularium. Extat tamen in editione Helmaestadiensi Reginonis & in veteri codice MS. quo nos uti sumus.*

De eadem re. *Ex eodem.*

CCCXXX. Qui compulsus à domino perjurat, si sciens, tres quadragesimas & legitimas ferias pœniteat.

Burchard. lib. 12. c. 4.